

**Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen!**

*Zum zweiten Mal in Sizilien angekommen und von Akestes freundlich empfangen, beschließt Aeneas, Spiele zum Gedenken an seinen Vater zu veranstalten. In diesem Sinne wendet er sich an seine Gefährten:*

Postera cum primo stellas Oriente fugarat  
 clara dies, socios in coetum litore ab omni  
 aduocat Aeneas tumulique ex aggere fatur:  
 „Dardanidae magni, genus alto a sanguine diuum,  
 annuus exactis completur mensibus orbis, 5  
 ex quo reliquias diuinique ossa parentis  
 condidimus terra maestasque sacrauimus aras;  
 iamque dies, nisi fallor, adest, quem semper acerbum,  
 semper honoratum (sic di uoluistis) habebo.  
 hunc ego Gaetulis agerem si Syrtibus exsul, 10  
 Argolicou mari deprensus et urbe Mycenaean,  
 annua uota tamen sollemnisque ordine pompas  
 exsequerer strueremque suis altaria donis.  
 nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis  
 haud equidem sine mente, reor, sine numine diuum 15  
 adsumus et portus delati intramus amicos.  
 ergo agite et laetum cuncti celebremus honorem:  
 poscamus uentos, atque haec me sacra quotannis  
 urbe uelit posita templis sibi ferre dicatis.  
 bina boum uobis Troia generatus Acestes 20  
 dat numero capita in nauis; adhibete penatis  
 et patrios epulis et quos colit hospes Acestes.  
 praeterea, si nona diem mortalibus almum  
 Aurora extulerit radiisque retexerit orbem,  
 prima citae Teucris ponam certamina classis; 25  
 quiqe pedum cursu ualet, et qui uiribus audax  
 aut iaculo incedit melior leuibusque sagittis,  
 seu crudo fudit pugnam committere caestu,  
 cuncti adsint meritaque expectent praemia palmae.  
 ore fauete omnes et cingite tempora ramis.“ 30

Sic fatus uelat materna tempora myrto.  
 hoc Helymus facit, hoc aeui matus Acestes,  
 hoc puer Ascanius, sequitur quos cetera pubes.  
 ille e concilio multis cum milibus ibat  
 ad tumulum magna medius comitante caterua. 35  
 hic duo rite mero libans carchesia Baccho  
 fundit humi, duo lacte nouo, duo sanguine sacro,  
 purpureosque iacit flores ac talia fatur:  
 „salve, sancte parens, iterum; saluete, recepti  
 nequiquam cineres animaeque umbraeque paternae. 40  
 non licuit finis Italos fataliaque arua  
 nec tecum Ausonium, quicumque est, quaerere Thybrim.“

**Anmerkungen:**

- 28      caestus,-us: Schlagriemen  
 36      carchesium: Trinkgefäß